UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Philippi Servii E Societate Iesv Amicus Fidelis Vsqve Ad Mortem: Sive Modvs Ivvandi Moribvndos, Ægris, Sanisqve Perinde Vtilis

Servius, Philippe

Leodii, 1648

De Forma Baptismi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-60032

Visual Library

An hoc pacto, irreuerentia Sacramẽto nõ irrogatur? periculoq́ irritationis exponitur?

Reſpondet in ſimili dubio Sancius Sacramentum quaſi iuri ſuo cedere, nec ægrè ferre ſe exponi periculo irritationis, vbi de ſalute proximi ſpirituali & de maiore ſecuritate agitur; Et, quod vbi charitas cum religione concurrit, religio haud difficulter charitati cedit: quamquam Baptiſmatis irritationi cauebitur, ſi ſub conditione, videlicet ſi materia hæc idonea ſit, conferatur; quod omninò faciendum cenſet Ioannes Præpoſitus, ſublatoque periculo, quæſitaque diligenter & inuenta aqua non dubia, Baptiſmum ſub conditione ſi baptizatus ſit ſuperſtes, iterandum.

DE FORMA BAPTISMI.

FOrma Sacramenti Baptiſmi ſunt hæc verba: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.*

Diligentes eſſe conuenit Paſtores, vt intelligant an Obſtetrices nouerint debitam formam Baptiſmi proferre, & materiam applicare.

 Expedit

Expedit vt formam linguâ vernaculâ potiùs proferant quàm Latinâ: Latinam enim cùm non intelligant, pronum magis eſt vt in ea efferenda errores aliquos admittant. Videndum ne quid addant vel detrahant formæ. Sunt quæ, ex ſtultâ deuotione, addunt formæ, Nomen B. Virginis, vel Sanctorum aliquorum, vel omnium, dicentes: *Ie te baptize au nom du Pere, & du Fils, & du S. Eſprit, & de la glorieuſe Vierge Marie*, ou bien: *Et du Bien heureux S. François*, ou bien: *Et de tous les Saincts & Bien-heureux.*

Periculoſæ plenum opus aleæ! Eſt non nemo qui audeat aſſerere eiuſmodi additionibus Baptiſmi formam totam vitiari. *a*

a *Iacobus de Graffijs in ſuis dec. aur. p. 2. l. 1. c. 3. n. 24. Rubeus de Sac. in 4. Sent. diſt. 2.*

Sed credibile eſt, eiuſmodi additiones non ideò fieri vt infans baptizetur in nomine aut virtute B. Virginis, ſicut baptizatur in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti, ſed vt Baptizato B. Virginis aut Sanctorum patrocinium & interceſſio proſit ad gratiam baptiſmalem conſeruandam. Sic autem acceptæ conditiones illę, nihil habent

bent quod formæ perfectioni obſiſtat. Adde, verba in quibus tota formæ perfectio conſiſtit (nempe, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*) priùs tempore operari effectum ſuum quàm particulæ illæ (*& B. Virginis, & Sanctorum omnium*) addantur, & ideò neque ab eis tolli poſſe, qualemcunque tandem errorem ſignificent.

SVBIECTVM BAPTISMI.

SVbiectum Baptiſmi eſt quilibet homo natus, exiſtens in hoc mortali corpore ſiue ſit infans, ſiue adultus, ſiue ſit vir, ſiue fœmina. *a*

Dicitur *homo natus*, quia non poteſt baptizari infans in vtero matris exiſtens, qui necdum prodijt in lucẽ: *b* ſi tamen prodijt aliqua ex parte, baptiſmus in neceſſitate admininiſtrandus eſt in qualibet corporis parte, etiam in ſolo digito, ſi nequeat in capite baptizari. Hanc autem doctrinam ita extendunt aliqui vt ad valorem baptiſmi dicant ſufficere ſi aqua capillos tãtùm attigerit: *c* quia capilli reputantur tanquam partes hominis; vnde illis ablutis homo ſimpliciter dicitur ablu-

a *Bonacina to. 1. fol. 57.*
b *Idem tom. 1. fo. 49.*
c *Sotus in 4. diſt. 3. q. vnic. art. 7. §. 3. Vaſquez tom. 2. in 3. part. diſp. 146.*